



## **Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica**

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Beneficiorum Ecclesiasticorum Natvra, Ereptione, Qualitatibvs Ad Ea Obtinenda Requisitis ...

**Leuren, Peter**

**Coloniæ Agrippinæ, 1704**

63. An beneficium perpetuum jurispatronatûs per patronum, accedent consensu Ordinarii, possit fieri manuale.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74477](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74477)



nimirum regularitatem. Lott. n. 4. Porro in beneficiis secularibus constituitur hæc qualitas manualitatis in substantia beneficii vi dispositionis adjectæ in limine foundationis per fundatorem tam Clericum, quàm laicum: in regularibus verò non tam afficit naturam beneficii, quàm sita est in obedientia; & procedit ex virtute professionis religiosi; hic enim, cum sit sub obedientia sui superioris, nec habeat velle aut nolle, statim ac revocatur, cogitur beneficium dimittere. Lott. n. 5. & seq.

*Quæres 62. Num beneficium manuale per prescriptionem quadragenariam possit amittere manualitatem, & fieri perpetuum; & contra perpetuum fieri manuale?*

**R**espondeo affirmativè: dum nimirum inducitur consuetudo manualitati contraria, qualis foret, dum tentans revocare beneficium impediretur (intellige ab alio, quàm beneficiato ipso; si enim is solus per potentiam resisteret remotioni, & esset refractarius, inducere consuetudinem rationabilem, & præscribere nequirit, quia careret bonâ fide, argumento *c. cum inter vos. de consuetud. & cum non liceat. de prescrip.*) quia hæc esset contraria potestati revocandi, secus verò est, dum consuetudo non contrariaretur manualitati, qualiter ei non contrariatur omisso revocationis, modò ea sit libera: beneficium enim manuale non dicit revocationem, sed potestatem expeditam revocandi; adeòque dum conferens beneficium habet hanc potestatem, etsi per mille annos nunquam faceret revocationem, non inducitur consuetudo contraria manualitati; ita ferè Castrop. d. 1. p. 5. num. 21. concilians sententiam hoc in puncto negativam (quam aliàs absolute tenent Rebuff. *de pacif. poss. num. 277.* Abb. *in c. ad nostram. nu. 11.* Sanch. *in decal. c. 29. n. 117.* contra Gamb. *de off. Leg. l. 4. c. 1. nu. 19.* hoc nixi fundamento vero, quòd ex actibus meræ facultatis induci nequeat consuetudo juxta *c. Joannes. de Clericis conjug. & l. qui jure familiaritatis. ff. de acquir. poss.*) cum affirmativâ.

*Quæres 63. Num beneficium perpetuum jurispatronatus per patronum, accedente consensu Ordinarii, possit fieri manuale, & ad nutum amovibile?*

**R**espondeo: Navar. l. 1. conf. 9. vel juxta impressionem Venetam *conf. 11. de off. ordinar.* multum inclinare in partem affirmativam (in quo casu defineret esse beneficium ab Episcopo conferendum, perditque patronus jus præsentandi ad illud, & acquirit libertatem ponendi & tollendi, quando & quoties voluerit, Corrad. *in pr. benef. l. 1. c. 6. n. 287.*) eò quòd expediat Capellanas jurispatronatus esse potiùs manuales, quàm perpetuas; cum sic Capellanus magis incumbat servitio Capellæ, & impletioni onerum, meliusque vivat ob timorem amotionis. C. de Luca. *de jurep. d. 15. n. 11.* ait: multum sibi placuisse hanc Navar. rationem, satisque visam probabilem, unde plus quàm centies consuluerit volentibus piè disponere, ut ab erectione beneficiorum juris patronatus abstinerent, & erigerent, seu fundarent hujusmodi Capellas manuales tanquam species pii legati, absque Ordinarii auctoritate; tum etiam ad evitandum devolutiones seu derogationes, aliàsque beneficia-

lium subtilitates, ob quas jus patronatus amitti vel inutile reddi solet: verum tamen de stricto jure videri sibi id non sufficere; quia cum beneficium jam constitutum sit in statu suo perpetuitatis, beneficiis secularibus connaturalis, ista immutatio sapere videatur speciem aliquam alienationis vel dismembrationis, quæ etiam in spiritualibus sine causa & solemnitate prohibita sit.

*Quæres 64. Num hæc qualitas manualitatis insit beneficiis regularibus omnibus, & econtrâ absit à secularibus?*

**R**espondeo negativè: etsi enim beneficia secularia præsumantur perpetua, quia ferè omnia secularia sunt perpetua. *c. 1. de Capell. Monach. & Gl. ibi. c. veniens. de filiis presbyt.* apud Castrop. *loc. cit. n. 16.* regularia econtrâ præsumantur manualia, quia ferè omnia sunt talia. Gonz. *ad reg. 8. gl. 5.* apud Castrop. interdum tamen regularia sunt perpetua, & secularia sunt manualia; quia sic constitutum ex fundatione, vel privilegio Apostolico, vel præscriptione. C. de Luca. *de benef. d. 97. num. 5.* Castrop. *loc. cit.* Gonz. n. 8. Garc. p. 1. c. 2. num. 72.

*Quæres 65. Num ex eo, quòd quis ordinatur sacris ordinibus ad titulum beneficii, v. g. Capellania ad nutum amovibilis, illud amittat hanc qualitatem manualitatis seu amovibilitatis?*

**R**espondeo negativè: maximè si fiat absque consensu patroni: non enim potest Ordinarius, etiam cum consensu patroni tollere vel mutare qualitatem foundationis. Garc. *loc. cit. n. 91.*

*Quæres 66. Num manualitas cadat in beneficia parochialia secularia?*

**R**espondeo probabilius, quòd non: etsi enim Castrop. *loc. cit. num. 16.* dicat istiusmodi beneficia rarè vel nunquam esse manualia, & Corrad. *in pr. benef. l. 3. c. 9. n. 36. & seq.* in Ecclesiis parochialibus difficulter admitti manualitatem, quia parochorum remotio & variatio non leviter præjudicat Ecclesiæ; Rota tamen, ut testatur Gonz. *loc. cit. num. 6.* postquam eadem ex causâ dubitasset, an laicus fundans Ecclesiam parochialem possit parochum constituere ad nutum amovibilem, in partem negativam inclinavit, Corrad. l. 3. c. n. 2. & habetur decretum S. Congreg. *ad c. 18. sess. 24.* quo dicitur: *Rector semel deputatus non poterit ad nutum amoveri à patronis, etiam quòd allegarent esse in possessione sic faciendis; etiam si juspatronatus esset alicujus communitatis, sed perpetuò illius Ecclesie permanebit: Unde etiam, si Ecclesia parochialis unitur monasterio, ita tamen ut per sæcularem regatur, etiam si is à monasterio præsentetur, non poterit ullatenus ab ista Ecclesia, nisi per Episcopum ex rationabili causâ removeri, consuetudine etiam vel statuto quovis contrario non obstantibus; sic enim definit expressè Bonif. 8. *in c. unic. de Capell. Monach. in 6.* adeoque non erit beneficium manuale, sed erit Vicaria perpetua. Gonz. *gl. 5. cit. n. 52.* quia ista Vicaria non est regulare beneficium, sed sæculare: proinde secularis beneficii naturam tenere debet. Castrop. *loc. cit. n. 18.**

Quæres